



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

36. An qui servum alienum percutiendo inutilem reddit, vel occidit,
teneatur restituere aliquid non solum Domino, sed servo? Ex p. 7. t. 7. r.
20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

De Seruis, seu Mancipiis. Ref XXXV. &c. 445

si fecus faciant, peccant, & tenentur ad restitutionem. Qui etiam si accepissent scienter, tenentur restituere: Si verò bona fide accepissent, siquidem rem illam habeant apud se, tenentur reddere: si ex ea facti sunt ditiores, id reddant in quo locupletiores facti sunt. Denique si rem non habeant, nec facti ditiores sunt, ad nihil tenentur. Et ita etiam docet Molina *disp. 277.*

RESOL. XXXV.

An serui possint facere elemosinas?
Et an serui possint habere aliquarum rerum dominium, imperfectum? Ex p. 5. tr. 8. Ref. 26.

§. 1. **I**N aliquibus casibus affirmatiue respondeo cum Filliucio *tom. 2. tr. 28. cap. 3. n. 95.* Primus, si sit extrema necessitas. Secundus, si detur modicum quid, & raro, praesumitur enim probabiliter consensus domini. Tertius, quotiescumque addit eiusdem consensus saltem interpretatiuus. Quartus quando probabiliter speratur rati habitio, quae tunc maxime est, quando haberet seruus administrationem bonorum. Quintus, quando de certa portione sibi assignata ad victum detraheretur aliquid per abstinentiam, modo id non cedat in prauiudicium domini, si nimirum per hoc redderetur inhabilis ad seruitutem. Sed quia ego latius probabiliter firmavi in *2. part. tr. 3. miscell. ref. 58.* seruos posse habere aliquarum rerum dominium imperfectum, & secundum quid, ita vt eas non teneantur suis dominis tradere, igitur in illis casibus certum est seruos posse praebere elemosinas. Primus casus est, si aliquis det seruo ea conditione vt res donata ad dominum non perueniat. Secundus, si aliquid detur absolute & sine conditione, non tamen intuitu ipsius domini, vt v. g. propter industriam, vel aliquod seruitium factum, nam in hoc casu ille qui dat, videtur dare, vt illa res scilicet non sint domini, sed serui. Tertius, si aliquid detur in compensationem iniuriae illatae. Quartus, si aliquid lucretur sua pecunia, & ex rebus sibi datis, vt *supra & infra* vnde suum facit lucrum acquisitum per ludum licitum, vel illicitum. Quintus, quando propter turpem corporis vsu aliquid ei datur. Cum igitur in his casibus seruus acquirat dominium rerum, potest de illis elemosinam facere praeter alios casus à Filliucio supra notatos.

RESOL. XXXVI.

An qui seruum alienum percutiendo inutilem reddit, vel occidit, teneatur restituere aliquid non solum Domino, sed seruo? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 20.

§. 1. **E**X Abulensi affirmatiue respondet Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 38.* vbi sic ait. Merito Abulensis adnotauit, eum qui alienum seruum occidit, aut ita percudit, vt illum in potiore ad seruiendum, minorilve valoris reddat, ad binam restitutionem teneri. Vnam domino serui faciendam, quatenus id in damnum illius cessit, alteram verò seruo pro damno illi illato. Simul etiam puniti debet per publicas potestates poena aliqua, quae in compensationem pro iniuria seruo illata cedat. Hinc constat, minus peccare eum, qui seruum proprium quam qui alienum iniuste percudit: eò quòd ille vni tantum, hic verò duobus damnum, ac iniuriam inferat.

2. Sed hanc doctrinam Molinae Eminentissimus Cardinalis Lugo *de iust. tom. 1. disp. 3. sect. 1. n. 20.* cum limitatione accipit; nam si seruo sequatur ex iniuria

Tom. VII.

damnum aliud circa victum, vestitum, aut caetera necessaria ad vitam humanam restituendum erit illi, ne id damnum patiat, quòd idem erit, quando vxor, parentes, vel filij eius ea de causa passuri essent. Quando verò eiusmodi damna non sequerentur, sufficeret restituere domino, quia supponimus, quòd pro damnis corporis praecise non est obligatio restituendi in bonis alterius generis.

Verum sententiae Molinae adhaeret Fagundez *de iust. lib. 2. cap. 5. num. 4.* Habet igitur vtraque sententia Defensores.

RESOL. XXXVII.

An qui occidit seruum suum, teneatur aliquid hereditibus serui restituere?
Et de aliquibus aliis casibus agitur in quibus Dominus lethaliter peccat, si iniuria illata seruis suis à se notabilis sit. &c. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 45. alias 44.

§. 1. **D**iximus supra, de restitutione faciendi propter occisionem serui alieni; nunc ad dubium propositum assero negatiue respondere Azorium *tom. 2. lib. 2. cap. 38. quaest. 2.* vbi sic ait. Queritur an si dominus seruum suum occiderit, debeat aliquid restituere? Quidam arbitrantur debere eum restituere serui hereditibus; quia dominus qui seruum suum necat, verè homicida est, at homicida restituere vitam alteri adeptam iure debet eo modo quo potest. Cum igitur dominus suo seruo interfecto vitam reddere nequeat, debet aliquid ipsius serui hereditibus restituere. Sed certè non video quo iure hereditibus quicquam restituere cogatur. Fateor quidem eum verè, & proprie homicidam esse, qui suum seruum occiderit, & iniustitiae crimen admittit: quia eripit alteri vitam, & vt superius diximus, dominus vitae, & necis imperium, & potestatem non habet in seruum, & quòd attinet ad ius naturae, & gentium, omnes homines sunt liberi. Cum igitur seruo occiso vita reddi non possit, nec aliquid aliud quo vita compensetur, sequitur vt nulli alteri dominus quicquam debeat; eo quòd vita, opera, & industria serui non erant alicuius, sed ipsius serui, & domini. Neque verò dominus suo seruo interfecto, aliis damnum intulit, sed sibi soli, qui se serui commodis, operis, & fructibus priuauit. Nec seruus cum bonis careat, vllam habet alii hereditatem; nam etiam si filios haberet cum est in seruitutem abductus; illi continuo sui iuris sunt facti, & bona quae ante seruitutem Pater habebat, in eorum dominium transferunt, non tamen ipsius Patris vita, aut libertas; quare ipsius nullam aliam iure naturali legitimam portionem debet. Ita Azorius, cui adde Filliucium *tom. 2. tr. 28. part. 2. cap. 4. num. 71.*

2. Sed affirmatiuum sententiam tenet Fagundez *de iust. lib. 2. c. 5. n. 4.* vbi sic ait: Quod si dominus seruum interfecerit, punietur tanquam homicida, & praeterea tenebitur a bitrio prudens viri pretij iniuriae infumere, in suffragiis pro illius anima, si non habeat filios, quibus fiat restitutio.

3. Hanc etiam sententiam tenet Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disputat. 38. num. 3.* Sic asserens; Licet ius dominorum in seruos tam late pateat; non tamen se extendit ad eorum vitam, cuius dominium sibi soli Deus seruauit, atque adeò neque ad membra, & salutem mancipij, quae quasi partes quaedam vitae illius sunt, à quibus vita ipsa pendet; & multò minus se extendit ad salutem illius spirituales, quasi aliquid praecipere ei, aut ab eo exigere possint, quòd cum spirituali illius salute pugnet. Quare, si eorum domini,

P p vel

Supra in Ref. quae hic est antecedens,

Superius in Ref. quae hic est 4. in §. vlt. per totum, & infra in Ref. seq. §. vlt. ad fin. 4.

Sup. contento in hoc §. ad litteram in Ref. seq. §. 1